



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XLVII. De Purificatione post Partum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

## TITULUS XLVII.

### *De Purificatione post Partum.*

#### SUMMARIUM.

1. *Lex Purificationis in quo consistat.*
2. *In Novo Testamento non stringit per se.*

**L**ex Ceremonialis Antiqui Testamenti erat, I  
ut fœminæ post partum maris 40. die-  
bus, & post partum fœminæ 80. diebus  
abstinere debuerint ab ingressu templi propter  
immunditiam corporalem, quæ eo tempore cen-  
sebatur perdurare. *Levit. 12.* quo finito offeren-  
tes agnum anniculum, & pullum columbæ, vel  
turturem (vel, ubi agnum offerre non poterant,  
duos turtures, aut duos pullos columbarum) se  
liberabant ab immunditia Legali, & redimebant  
infantem in templo, si adhuc vixisset, DEO obla-  
tum. Ad hujus Legis imitationem ordinavit Ec-  
clesia, ut mulieres exemplô B. Virginis post par-  
tum aliquot hebdomadibus in reverentiam Eccle-  
siarum abstinerent ab harum ingressu, atque iis  
elapsis *Purificationem* per certas ceremonias in-  
stituerent, & à Parocho in Ecclesiam introduce-  
rentur prævia benedictione, & cum aliqua obla-  
tione. *c. un. b. t.*

Dico. hæc purificatio post partum in novo Te- 2  
stamento non est de præcepto, sed de consilio.  
*c. un. cit.* Nisi forsan consuetudo, quæ videtur esse  
introducenda cum opinione obligationis, obtineat  
apud nos vim legis.